

reservari, non negat Justis presentem Beatitatem in Regione ac Regno Cœlorum; sed dicit, nondum eos ingressos esse in Regnum illud absolutæ Beatitudinis, quod appellabitur *Regnum Patris*, *Regnum Dei*, & quod tantummodo sperandum est, quum mortale hoc, scilicet Caro nostra, induerit immortalitatem. Certe quum Hilarius sentiat, *Fideles omnes reservari*, non eximit ex eorum numero Apostolos & Martyres, quos tamen nuper ipse affirmavit translatos in *Locum Beatitudinis in Regionem Viventium, in Dei Domum, idest in Cœlestis Domicilii habitationem*. Dixerat etiam, Justos hinc excedentes frui *Consortio Christi*, qui procul dubio est *in gloria Patris*. Quod ut manifestius etiam assequare, repetendum est, Cœlestem Civitatem, mysticam nimirum & beatam Hierosolymam in Cœlis, quæ sensim a Justorum Animabus hinc decedentibus ædificatur, appellari ab Hilario *Regnum Christi*. De ipsa loquitur idem sanctus Episcopus Tractat. in Psalm. cxxxi. num. 3. inquit, terrenam Hierusalem præfigurasse speciem *Æternæ illius & Cœlestis Civitatis*. Et quia in omne tempus, & usque ad *Sæculi consummationem*, & per omnium generationum ætatem, ædificatio Cœlestis hujus Civitatis explenda est: ideo ædificari eam sine temporis definitione significat, dicens: *Ædificatur ut Civitas; donec, ut Apostolus ait, intret plenitudo gentium*. Quis autem, nisi desipiat, Beatitudinem a sancta & Cœlesti Civitate illa, atque a Regno illo Christi exsultare arbitretur? Eoque minus id excogitare licet, postquam auctor est ipse S. Hilarius, Justos in fine Mundi e beatissima illa Civitate progressuros in *Regnum Dei Patris*. Ea ejus verba Prolog. in Lib. Psalmor. num. 11. *Quum enim primus gradus sit ad salutem, in novum hominem post peccatorum remissionem renasci* (en Regnum Christi in Sanctis super terra degentibus): *Sitque post penitentiae confessionem Regnum illud Domini in sanctæ illius & Cœlestis Hierusalem reservatum* (en Regnum Christi in Sanctis ex hoc Mundo ad Cœlestem Gloriam translatis): *Et postea consummata gloria* (nondum enim perfecta est illorum Beatitudo sine Corpore) *in Dei Patris Regnum, per Regnum Filii proficiamus*. Rursus hanc transitum describit Hilarius Tractat. in Psalm. cxlviii. num. 8. inquit: *Illud Sanctorum est Regnum*, Et infra: *Illis ergo proprius hymnus est, qui Deo propinquabunt, qui per hoc sanctæ Hierusalem Regnum Beatum, Æterno Regno proximi, post Regnum Domini nostri Jesu Christi in Regnum Dei Patris, Domino congregante, transibunt &c.* Ergo vides, Sanctos in *Regnum Dei Patris*, quum Corpora recipient glorificata, transferendos, jam in *Cœlesti Hierusalem*, sive in Cœlis, hoc est in *Sanctæ Hierusalem Regno Beato*, versari: ac propterea Beatos esse, quanquam in assumptione Corporum eorum demum augenda sit Beatitudo, & de Beatitudine in alteram majorem Beatitudinem sint transitori. *Regnum itaque Dei, non Animarum jam Beatarum, sed Corporum Gloria, sive Glorificatio est.*

Quanti autem Hilarius faceret conferendam Corpori *æternitatis*